

HERIBERTI MONACHI

EPISTOLA DE HÆRETICIS PETRAGORICIS.

(MARTENS Anecdot. I, 453, ex ms. Elne.)

Omnibus Christianis notum esse cupio ega Heribertus monachus, ut se caute agant a pseudoprophetis, qui Christianitatem pervertere nituntur. Surrexerunt enim in Petragoriensi regione quamplures hæretici, qui se dicunt apostolicam vitam ducere : carues non comedunt, vinum non bibunt, nisi permodicum tertia die ; centies in die flectunt genua, pecuniam non recipiunt. Illorum autem secta valde perversa est ; *Gloria Patri nou dicunt, sed pro Gloria Patri, Quoniam regnum tuum, et Tu dominus universæ creaturæ in sæcula sæculorum. Amen.* Eleemosynam nihil esse, quia unde fieri possit, nihil debere possideri. Missam pro nihilo ducunt, neque communionem percipi debere dicunt, sed fragmen panis. Missam si quis cantaverit, seductionis causa, nec canonem dicit, nec communionem percipit, sed hostiam juxta aut retro altare, aut in missalem projicit. Crucem, seu vultum Domini non adorant, sed adorantes prohibent; ita ut ante vultum Domini dicant : *O quam miseri sunt, qui te ad-*

A erant ! psalmo diceente : *Simulacra gentium, etc.* In hac seductione quamplures jam non solum nobiles, propria relinquentes, sed et clerici, presbyteri, monachi et monachæ pervenerunt. Nullus enim tam rusticus est, si se eis conjunxerit, quin infra octo dies tam sapiens sit litteris, ut nec verbis, nec exemplis amplius superari possit. Nullo modo detineri possunt, quia si capiuntur, nulla vinctione possunt servari, diabolo eos liberante, et ita universi, ut sperant et velint invenire eos qui se crucient et morti tradant. Faciunt quoque multa signa ; nam sicubi ferreis catenis vel compedibus vinciti missi fuerint in tonnam vinariam, ita ut fundus sursum vertatur, et custodes fortissimi adhuc beatantur, in crastino non inveniunt, quoadusque se voluntarie representaverint, vas vini vacuum ex suo vino parumper immissio in crastino plenum invertitur. Alia quoque permulta et mira faciunt. Princeps eorum Ponus vocatur

B

ANNO DOMINI MCLI

BARTHOLOMÆUS

CATALAUNENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(Gall. Christ. nov., tom. IX, col. 881)

Bartholomæus, ex decano Ecclesiæ Parisiensis factus est anno 1147 episcopus Catalaunensis, quo quidem anno vii Kal. Novembri adfuit dedicationi ecclesiæ suæ ab Eugenio III papa, ut fertur, celebratæ, eamdemque cum episcopis Parisiensi, Antissiodorensi ac Nivernensi, intus et foris aspersione aquæ benedictæ lustravit. Eodem anno diploma regium obtinuit de hereditate episcoporum Catalaunensium intestato morientium, quod habes in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tom. I, pag. 595, et apud Marten. Collect. Ampliss. tom. I, pag. 803. Anno sequenti adfuit concilio Remensi adversus Gilbertum Porretanum. Exstat apud Quercetanum Hist. Franc. tom. IV Bartholomæi epist. ad Sugerium abbatem. Obiit Bartholomæus anno 1151 in peregrinatione Jerosolymitana, ex Alberici et sancti Petri Catalepensis chronicis, vel viii vel viii Kalendas Januarii, ex necrologiis.

BARTHOLOMÆI EPISTOLA

AD SUGERIUM ABBATEM.

(Vide Patrologiæ tom. CLXXXVI, in Sugerio abbe S. Dionysii.)